THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

13. Jh. Seite 120r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26052
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et uistatione nauium. Zabulon interpretatur habitaculum for-
titudinis. ecclesiam fortissimam significat. ad omnem toleranci-
am passionis. hec in litore maris et uistatione nauium. ut cre-
dentibus sit refugium. et periclitantibus demonstret fidei portum.
Hec contra omnes turbines seculi inmobili et inconcussa firmitate
solidata expectat naufragium iudeorum et hereticorum procellas
que circumferuntur omni uento doctrine. Quorum et si tunditur
fluctibus frangit tamen ipsa fluctus non frangitur. nec ullis here-
sium tempestatibus cedit. nec ullo uento scismatum commotum
succumbit. Pertendit autem usque ad sydonem. hoc est usque ad gen-
tes peruenit. Legitur etiam in euuangelio inde assumptos esse
aliquos apostolorum. et in ipsis locis dominum sepe docuisse. sic scrip-
tum est. terra zabulon. et terra neptalim. uia maris trans
iordanem galilee. gentium populus qui sedebat in tenebris
uidit lucem magnam. IHERONIMUS.
Gad latrunculus latrocinatur. et ipse latrocinabitur plantam.
Iuxta hebreum interpretati sumus. sed ut nos latrunculum posuimus
ibi scriptum est. GEDUD ut ad gad nomen adluderet qui significa-
cancursus. e y ψ ηoc. id est accinctus siue dedit exprimi potest.
Totum autem illud est quod ante ruben et dimidia tribu manas-
se ad filios quos in possessione diuiserat. Post xiiii annos
reuertens plurimum aduersum eos gentium uicinarum grande
repperit. et uictis hostibus fortiter dimicaret. Lege librum
ihesu naue et paralipomenon. Non ignoro plura in bene-
dictionibus patriarcharum esse mysteria. sed ad presens opus-
culum non pertinent. RECAPITULATIO.